



Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Ab Innocentio XI. Ad Innocentium XII.

Luxemburgi, MDCCXLI.

26. Agrum Universalis Ecclesiæ &c. Indicto Visitationis Apostolicæ omnium
Ecclesiarum, & Locorum Piorum Almæ Urbis, nec non Orationis
quadraginta horarum, cum Indulgentiarum elargitione ad ...
-

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74849](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74849)

Decreta
roborantia
cum clau-
sula subla-
ta, ac de-
creto irri-
tanti.

autoritate harum serie creamus, facimus, ac con-
stituimus, & deputamus.

§. 9. Decernentes easdem praesentes Literas
semper firmas, validas, & efficaces existere, &
fore, suosque plenarios, & integros effectus sorti-
ri, & obtinere, ac illis, ad quos, & quas spe-
ctat, & pro tempore quodcumque spectabit in
omnibus, & per omnia plenissime suffragari, &
ab eis respective inviolabiliter, & inconcussè ob-
servari, & adimpleri; Sicque, & non aliter in
praemissis per quoscunque Judices Ordinarios, &
Delegatos, etiam Caesarum Palatii Apostolici Au-
ditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere Le-
gatos, & dictae Sedis Nuncios, & alios quoslibet
quacunque praerogativa, & potestate fungentes,
& futuros, sublata eis, & eorum cuilibet qua-
vis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, &
autoritate, iudicari, & definiri debere; Ac irritum
& inane, si secus super his à quoquam quavis au-
toritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Deroga-
tiones.

§. 10. Non obstantibus praemissis, ac Constitu-
tionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon
quatenus opus sit, praefatorum Ordinis, Nationis,
Provinciarum, Conventuum, Monasteriorum,
& Domorum Regularium, aliisque quibuscunque
juramento, & confirmatione Apostolica, aut qua-
vis firmitate alia roboratis Statutis, & Consuetu-
dinibus, Privilegiis quoque, Indultis, & Litteris
Apostolicis illis, eorumque Superioribus, & per-
sonis quibuscunque, sub quibuscunque verborum tenori-
bus, & formis, ac cum quibuscunque etiam derogato-
riam derogatoriis, aliisque efficacioribus, & inso-
litis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis in
genere, vel in specie, etiam Consistorialiter, & alias
quomodolibet in contrarium praemissorum concessis,
confirmatis, ac pluries innovatis. Quibus omnibus, &
singulis, etiam si pro illorum sufficienti derogatione
de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifi-
ca, & individua, & expressa, ac de verbo ad
verbum, non autem per clausulas generales idem
importantes, mentio, seu quaevis alia expressio
habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc
servanda foret, illorum omnium, & singulorum
tenores, formas, causas, & occasiones praesenti-
bus pro plenè, & sufficienter expressis, insertis,
& specificatis respective habentes, illis aliis in suo
robore permanentibus, ad praemissorum effectum
hac vice dumtaxat specialiter, & expresse déro-
gamus, & derogatum esse volumus, ceterisque
contrariis quibuscunque.

Obligatio
ratificandi
& continu-
andi in obedi-
entia.

§. 11. Volumus autem, ut intra quatuor men-
ses proximos nomine quarumcunque Personarum
Nationis, Provinciarum, Conventuum, Mona-
steriorum, ac Domorum Regularium huiusmodi
Dilecti Filii Superiores earundem Provinciarum,
seu alii, ad quos spectat, debitam subjectionem,
& obedientiam, juxta Apostolicas, ac Ordinis hu-
iusmodi Constitutiones, eidem Moderno, ejusque
pro tempore Successoribus Ministris Generalibus
canonice eligendis à supradictis Exponentibus praes-
titam, ac declarationem circa proximè praeteritum
Capitulum Generale praefatum ab eis factam, ut
praefertur, realiter, & cum effectu ratificare, nec-
non in subjectione, & obedientia huiusmodi sine-
rè in posterum permanere, praesentiumque Litter-
arum dispositioni in omnibus, & per omnia ac-
quiescere omnino teneantur; alioquin easdem
praesentes nullae sint eo ipso.

Servanda
pro abso-
lutione.

§. 12. Insuper volumus, ut Personae supradic-
tae, si quae propter praemissa absolutione in fo-
ro conscientiae indigeant, poenitentiam, quam eis
Sacerdos idoneus propter eadem praemissa respecti-
ve imposuerit, omnino adimpleant; alioquin ip-
sae praesentes eis quoad absolutionem in foro con-
scientiae huiusmodi minime suffragentur.

Fides trans-
umptorum.

§. 13. Utque earundem praesentium trans-
umptis, seu exemplis, etiam impressis, manu
alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo perso-

nae in Ecclesiastica Dignitate constitutae munitis ead-
em prorsus fides in iudicio, & extra illud habeat-
ur, quae ipsis praesentibus haberetur, si forent ex-
hibita, vel ostensa. Datum Romae apud Sanctam
Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 9. De-
cembri 1692. Pontificatus Nostri Anno Secundo.

J. F. Card. Albanus.

Actus obedientiae praestitae in Romana Curia à Pa-
tribus Procuratoribus, seu Deputatis Provincia-
rum Nationis Gallicae dicti Ordinis.

Nos infra scripti Procuratores, seu Deputati Pro-
vinciarum Nationis Gallicae Ordinis Fratrum
Minorum S. Francisci tam de Observantia quam Re-
collektorum respective nuncupatorum, non solum nomi-
ne proprio, sed etiam nomine omnium, & singulorum
Provincialium, Superiorum, & Personarum utrius-
que sexus dicti Ordinis in eisdem Provinciis, aliisque
quibuscunque Regi Nostro Christianissimo subjectis locis
existentium sincero corde, & pura fide protestamur, &
declaramus, nos paratos, & promissos semper fuisse, &
esse moderno Reverendissimo Patri Ministro Generali
eiusdem Ordinis, ejusque pro tempore Successoribus Mi-
nistris Generalibus canonice eligendis debitam subjectionem,
& obedientiam juxta Regulae Nostre Seraphicae,
nec non Apostolicarum, & ipsius Ordinis Constitutio-
num praescriptum reddere, & praestare, prout praesen-
tium Litterarum vigore, nomine ut supra reddimus,
& praestamus; Capitulum Generale ejusdem Ordinis
Roma Anno 1688. habitum pro rite, & canonice ce-
lebrato nos habere, eodem pariter nomine declaramus.
Promittentes hujus nostra subjectionis, & obedientiae:
nec non declarationis circa supradictum Capitulum Ge-
nerale à Nobis facta veram, & realem ratificationem
intra terminum quatuor mensium proximorum à Patri-
bus Superioribus Provincialibus dictarum Provincia-
rum Gallicarum, aliisque, ad quos spectabit, obtinere,
nec non quod tam Nos, quam illi, ceterique praedi-
ctarum Provinciarum Fratres, & Moniales in sub-
jectione, & obedientia huiusmodi, sicut premititur,
praestita, sincere in posterum permanebimus, omni, &
quocunque contrario pretextu, colore, & tergiversa-
tione postpositis; Quod si intra dictum terminum ratifi-
cationem praedictam non obtinuerimus, ex nunc, prout
ex tunc, nullitati omnium, & quarumcunque gratia-
rum à S. Sede in praesens obremendarum, nos, Superio-
resque supradictos subicimus, subjectoque esse declara-
mus, Roma hac die octava Decembris Anno 1692.

F. Ludovicus Duval Sacrae facultatis Parisiensis
Doctor Theologus, & Magni Conventus Fra-
trum Minorum Parisiensium Procurator Gene-
ralis, & Discretus.

Fr. Claudius Bonaventura Sicault Doctor in Theo-
logia, Provinciae Turoniae Majoris Exdefinitor,
& Provinciarum Gallicarum de Observantia Pro-
curator.

Fr. Edmundus Godelle Custos Recolletorum Pro-
vinciae S. Antonii in Artestia.

Fr. Salvianus Paquin Guardianus Recolletorum
Rothomagensis.

Indictio Visitationis Apostolicae omnium Ecclesia-
rum, & Locorum piorum Almae Urbis, nec
non Orationis quadraginta horarum, cum In-
dulgentiarum largitione ad implorandam divi-
nam opem pro recta Visitationis huiusmodi di-
rectione.

INNOCENTIUS EPISCOPUS XII.

Dilectis Filiis Universo Clero, & Populo Romano Salu-
tem, & Apostolicam Benedictionem.

ACRUM Universalis Ecclesiae superna Coe-
lestis Patris familias praedestinatione curae

Nostrae

A. 1692. 9.
Decem-
bris.

XXVI.

Exordium

Nostræ demandatum omni studio, atque industria, quantum Nobis ex alto conceditur, custodire, atque excolere juxta fatagentes, spiritualibus hujus Almæ Urbis Nostræ, quæ propioribus charitatis vinculis Nobis conjungitur, quamque ipse Christus Dominus tot præclaris amoris significationibus præ cæteris dilexisse visus est, augendis, promovendis bonis peculiarem Apostolici muneris nostri sollicitudinem impensius adhibere non prætermittimus.

Motivum indicendæ Visitationis Apostolicæ.

§. 1. Cum enim Sancta hæc Romana Ecclesia veluti Civitas supra Montem posita, ac supra fundamentum Apostolorum edificata, omnium in se oculis undequaque convertat, ex ea potissimum non solum doctrinæ, sed vitæ, ac virtutum omnium exempla in reliquis Christiani Orbis Ecclesiis, quarum Mater, & Magistra est, oportet promanare. Quamvis itaque eam esse, miserante Domino, ejusdem Urbis Cleri, & Populi pietatem reputemus, ut Christi bonus odor exinde in exterar quoque Regionibus diffundi possit, nihilominus quia post primi Parentis labem semper ad inferiora nos deprimit nostræ mortalitatis infirmitas, & carnis fragilitate austerior paulatim observantia relaxatur, unde & de mundano pulvere etiam religiosa corda fordescere, & in Agro Domini spinas, & tribulos identidem germinare quotidiana experientia perdocemur: Memores Nos idcirco in sublimi hoc Apostolicæ Sedis fastigio constitutos, ut noxia evellamus, atque utilia plantemus, nihil Nos salubrius aggredi posse cogitavimus, quam si jam usque à primis fere Ecclesiæ temporibus traditum, & ab ipsa Sacrosancta Tridentina Synodo tantopere commendatum, quodque non minus sapienter constitutum, quam re, atque usu frugiferum compertum semper fuit, ac salutare, Pastoralis Visitationis auxilium adhiberemus; Qua quidem spirituali veluti cultura & vitiorum zizania, quæ suffocant sementem Patrisfamilias, eradicentur, & uberius benedicente Domino electi sanctorum operum frumenti messis exurgat.

Effectus pro quibus indicitur.

§. 2. Ut igitur divinus in Urbe præfata cultus amplifcetur, Ecclesiastica floreant disciplina, boni firmentur mores, corrupti corriganur, omnisque Populus in via Domini prælucente Clero feliciter progrediatur, Summi, & Aeterni Pastoris exemplo excitati, cujus illa sunt verba: Ecce ego requiram oves meas, & visitabo eas, sicut visitat Pastor gregem suum: statimur, Deo dante, hunc peculiarem Agrum, & Gregem Nostrum recognoscere, omnesque dictæ Urbis tam Patriarchales, quam Collegiatis, & Parochiales Ecclesias, earumque Capitula, & personas, item Monasteria, Conventus, & Ecclesias quorumvis Ordinum, tam Viro- rum, quam Mulierum, Hospitalia, Collegia, Confraternitates Laicorum, Montem Pietatis, & omnia quocunque censetur nomine, loca pia, visitare.

Assumentur in Adjutores Visitationis Card., & Episcopi.

§. 3. Porro in hujusmodi operis consortium, quippe quod, tamen per Nos ipsos illud inchoare, prosequi, & perficere vehementer optaremus, nihilominus tam aliorum, eorumque gravissimum negotiorum mole, quam nostrarum virium infirmitate præpediti, absque aliorum adjutorio explere posse planè diffidimus, nonnullos ex Venerabilibus Fratribus Nostris Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, necnon Episcopos, & Romanæ Curie Prælatos aliquos advocabimus, ultra alios super negotiis Visitationis Apostolicæ Ecclesiarum, & locorum piorum ejusdem Urbis auctoritate Apostolica dudum instituta deputatos, quorum consilio, atque operâ in re tam salubri, atque ardua utamur.

Indictio Visitationis.

§. 4. Ad Omnipotentis itaque Dei laudem, & gloriam, Sanctæque Romanæ Ecclesiæ exaltationem vobis Visitationem Nostram indicimus, quam à Sacrosancta Primaria Lateranensi Ecclesia inchoabimus, ac subinde statuendis diebus, adjuvante Domino, prosequemur.

§. 5. Universos proinde, & singulos per visitationem misericordiae Dei Nostræ, in quibus visitavit nos Oriens ex alto, monemus, & obsecramus, ut memores vocationis vestræ, tempus hoc acceptabile, & promovendæ animarum salutis destinatum agnoscentes, præparetis corda vestra Domino, vitæque, ac morum emendatione, necnon bonorum operum studio visitationem nostram ita præveniatis, ut ex ea fructum centuplum expectare possimus.

Imploratio Divini auxilii per Orationem quadraginta horarum.

§. 6. Cæterum, quia imbecillitatis Nostræ probè conficii, plantare frustra, ac rigare conaremur, nisi laboribus Nostris ope misericordiae suæ adesse dignaretur, qui incrementum dat Deus, suisque super nos sancti Spiritus liberali manu spargeret unctionem, idcirco ad celestem opem concordibus votis efficacius implorandam, volumus, ut proxima sextâ feriâ in nonnullis præfata Urbis Patriarchalibus, Collegiatis, & aliis præcipuis Ecclesiis per dilectum filium Nostrum in eadem Urbe Vicarium in Spiritualibus Generalem præscribendis, Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum solemni ritu in Altari proponatur, & quadraginta horarum oratio de more celebretur.

Concessio Indulgentiæ pro fidelibus orationibus

§. 7. Hæc autem ut ferventiori Spiritus ardore, majorique fructu fiant, celestium munerum thesauros, quorum dispensationem Nobis credit Altissimus, aperire, & erogare decrevimus, Omnibus itaque, & singulis utriusque sexus Christi fidelibus Romæ degentibus, qui verè poenitentes, & confessi, proxima die Dominicæ, quæ erit in Septuagesima, sacra Communione refecti fuerint, piasque in quavis Ecclesia ad Deum preces effuderint, ut hæc Nostra visitatio utilis sit Ecclesiæ, & animarum salutis, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam concedimus, & elargimur.

Hortatio ad bonam frugem.

§. 8. Agite igitur dilecti filii, Pastoralem sollicitudinem, quam paterna charitate vobis impendimus, & hujus nostræ visitationis labores orationibus sublevate, actusque vestros ita disponite, ut non in vacuum gratiam Dei recipiatis, sicque ipsi per omnia placere satagite, ut non modo fides, sed & sancta conversatio vestra annuntiari possit in universo Mundo, vestrique omnium mores in faciem Ecclesiarum Romanum illum Clerum, ac Populum ostendant, quem Beatissimus Princeps Apostolorum Petrus in Christiana Religione primus instituit, & gentium Magister, ac Doctor Paulus præ omnibus erudit, atque ita in omnibus honorificetur Deus, ut cum ad judicandum venerit, & scrutabitur Hierusalem in lucernis, exaltet nos in tempore visitationis ad videndum in bonitate Electorum suorum, ad letandum in læticia gentis suæ, ac laudetur cum hæreditate sua in perpetuas æternitates. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die 11. Jan. 1693. Pontificatus Nostræ Anno secundo.

D. 11. Januarii 1693 Pont. A. 2.

J. F. Card. Albanus.

Anno à Nativitate Domini Nostræ JESU Christi millesimo sexcentesimo nonagesimo tertio, Indictione prima, die vero duodecima mensis Januarii Pontificatus autem Sanctissimi in Christo Patris, & Domini Nostræ, Domini INNOCENTII Divinâ Providentiâ Papa XII. Anno Secundo; Supradictâ Indictione affixa, & publicata fuit ad valvas Ecclesiæ S. Johannis Lateranensis, Basilicæ Principis Apostolorum, & Cancellariæ Apostolicæ, in Acie Campi Floræ, & in aliis locis solitis, & consuetis Urbis, per me Agapitum de Magistris ejusdem Sanctissimi Domini Nostræ Papæ Cursorem.

Publicatio

Joannes Grecus Magister Cursorum.

Facul-